SEBASTIANVS CA-STALIO DE SECVNDA *hac editione Græca.*

Contulit Marcus Antimachus primam editionem Oporini cum exemplari ſuo manuſcripto, & inde multa emendauit, atque Oporino miſit. Hinc nos in hac ſecūda editione correximus, quæ certè corrigēda uidimus. Quòd ſicubi dubitari poterat, utra lectio uerior eſſet: utramque reliquimus, & Antimachianā in margine literis Al. quæ indicent alibi ſic legi, indicauimus. Atque eodem modo ex Theophilo & Iuſtino Martyre & Clemente Alexandrino (qui citant alicubi Sibyllina) paucis locis fecimus. Ipſi præterea quæ manifeſta errata deprehendimus, plurima correximus, & multis in locis perturbatum ordinem uerborum in integrum reſtituimus. cuiuſmodi eſt uerſus ille in libro primo,

ἐξ ὅθεν πρωτόπλαστος γένετ' ἀνὴρ. ὄνομα δ' αὐτῷ.

Quem nos ſic reſtituimus:

ἐξ οὗ πρωτόπλαστος ἀνὴρ γένετ'. οὔνομα δ' αὐτῷ

Et duabus pag. poſt hunc locū ſic legebatur:

Δάξει γὰρ αἰώνιον ζωὴν ἀνθρώποισιν.

Cum uerſus ratio poſtulet,

Δέξει γὰρ ζωὴν αἰώνιον ἀνθρώποισιν.

Vbi uerò dubitauimus, lectionem quamuis uitioſam non mutauimus, ſed coniecturas noſtras in margine poſuimus, ſignatas litera F. qua oſtendatur, fortaßis ita legendum eſſe. Et quidem id ſæpe fecimus etiam in ijs locis, in quibus cõiectura propemodum certa erat, ut lectori integrum iudicium relinqueremus. Cætera quæ ſunt in margine, non ſunt Sibyllarum, ſed à nobis adiecta, ut eſſent indicia locorum. De Xyſti annotationibus ea deleuimus, quæ in margine poſuimus, ne bis eadem ponerentur.